



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quis sit Christus in sua persona.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

& ita fit, quòd tandem hæc omnia recompensantur  
præmijs varijs in hac & pòst hanc vitam, &c.

## CAPVT XXIII.

## ARGVMENTA.

1. *Quis sit Christus in sua persona.*
2. *Quare donatus sit nobis peccatoribus.*
3. *Quapropter ipsum accipimus à Deo patre.*



Christus est verus Dei & Mariæ virginis  
filius: filius Dei ab æterno à patre geni-  
tus, Mariæ filius in tempore gratiæ na-  
tus: Primum, Christum esse filium Dei,  
vbiq; testatur scriptura, & maximè Io-  
annes Euangelista vrget totum suum Euangeliũ pro  
illo articulo, ita quòd Euangelium suum incipit &  
concludit cum fide, quòd Christus sit filius Dei: In  
principio, inquit, erat verbũ, id est, principio omni-  
um creaturarum, ergo æternus, non habens princi-  
pium cum creaturis, Ioã. 1. & 2. cap. Hęc scripta sunt,  
vt credatis quoniam Iesus est Christus filius Dei, vt  
hoc credentes, vitam habeatis in nomine eius. Et 1.  
Ioan. 4. Omnis qui confessus fuerit quoniam Iesus  
est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et idẽ  
5. cap. Hęc est fides quæ vincit mundum, id est, pecca-  
tum, mortem, diabolum, tyrannidem mundi, qui cre-  
dit quoniam Iesus est filius Dei. Maximè hoc creden-  
dum est contra Arrianos hereticos. Deindè quòd Ma-  
riæ sit filius secundum humanitatem, simul scriptu-  
ra tota & omnes Euangelistæ testantur. Matt. 1. De  
qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Et Ioan. 1.  
Verbum caro factum. Gal. 4. Natum de muliere. Sic  
in symbolo dicimus, Natus ex Maria virgine &c. Est  
igitur Christus in sua persona, Dei & virginis filius.  
Ideò datus est hominibus in mundo, vt quæreretur  
& saluum faceret quod perierat, Luc. 19. Et quia to-  
tus mundus & natura nostra oppressa fuit damna-

tione & peccato, sicut dicit Propheta Psalm. quinto, Omnes declinauerunt, & inutiles facti sunt, & Paulus Rom. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: Ideò datus est omnibus hominibus, vt illorum sit redemptor à peccato & saluator. Nam pater posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, Esaię 53. Factus est hostia & propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Io. 2. Mortuus est propter peccata nostra, Rom. 4. Ideò ipse est agnus ille paschalis oblatuſ pro peccatis nostris ac totius mundi, 1. Corinth. 5. Qui solus potuit nos reconciliare patri.

2. Nisi Christus semetipsum obtulisset hostiam pro peccato, Galat. 1. nullum esset in mundo remedium contra peccata, nulla remissio, nulla salus, nullus fauor & misericordia Dei erga nos, nullum subsidium Dei contra demonem & sathanam, ille enim plenam in nos haberet potestatem: ideò quòd sumus filij & in gratia Dei, quòd remittit peccatum, protegit, nutrit, saluat, totum ex merito istius hostiæ est, scilicet Christi. Ipse morte sua omnia reconciliauit patri, & aperuit regna cœlorum, & agnus solus est qui tollit peccata mundi. Ioan. 1.

3. Propter ipsum Christum pater cœlestis tria nobis promisit, si in illum crediderimus, & vt illa sint nobis certissima, mortem & ipsum Christum in pignus istarum promissionum dedit.

Promissio  
prima.

Primò promisit misericordiam suam, vt propter nomen Christi filij sui remitterentur nobis peccata, si pœnituerimus & cessauerimus, gratis sine nostro merito, sed propter illius meritum, quòd mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustitiam nostram, Roman. quarto, quàm Deus pater vult nobis imputare in accusatione legis, peccati, & mortis. Hanc promissionē vbique denunciant Apostoli, Roman. 3. gratis iustificati in sanguine eius. Petrus Actor. 10. Huic omnia Prophetę testimonium perhibent